

# LOCI THEOLOGICI E PATRIBVS ET SCHOLAſticis Neotericisq; collecti,

per D. VRBANVM RHEGIVM.

FRANCOFORTI
Ex officina Petri Brubach.
ANNO M. D. L.

# REVE
## RENDISSIMO ET ILLV
## STRISS. PRINCIPI AC DOMINO

D. [illegible] Wurzburgensi [illegible]
[illegible] Principi [illegible] D.
[illegible]
[illegible]
& D.

A[illegible] triennium [illegible]
[illegible]
[illegible] Wurzburgensi [illegible]
[illegible] dum [illegible]
[illegible]
[illegible] defuncto, [illegible]
[illegible]
[illegible] principe [illegible]
[illegible] D. Vrbani
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible], quibus [illegible]

a

Loci Theologici ab ipſo collecti, non tantum ex omnibus ueteris Eccleſiæ ſcriptoribus, ſed etiā primi nominis ſcholaſticis. Obiter autē annotauit libros etiā & capita cuiuſq; loci, è ſanctiſsimis lucubrationibus reuerēdi in Chriſto Patris D. Doctoris Martini Lutheri, quē Theophorcti nomine deſignat, quòd uerus Dei homo et fidelis myſteriorum diuinorū œconomus ſit, et quòd uerū Deum doceat ipſumq; Dei ſpiritū in pectore geſtet, quod quę Deus hoc organo in repurgāda ſua doctrina his nouiſsimis temporibus uſus, uerā ſolidamq; ſui ac filij ſui cognitionem, per aliquot ſecula pœnè amiſſam, per uirū hunc ter maximū pulchrè reſtituere ſit dignatus. Collegit autē non in hoc, ut rudis indigeſtaq; hæc ſylua uel ab ipſo uel ab alio emitteretur in publicū, ſed ſibi dumtaxat hæc, ut quæq; in lectione quotidiana ſeſe obtulerunt, memoriæ cauſa, annotauit, in eū uſum, ut et ſuperioris & noſtri temporis ſcriptorū, de quolibet loco ſententiam, ubi opus eſſet, uel ſi fortaſsis integros aliquando locos cōſcriberet, hanc ſyluam in promptu haberet.

Cum uerò oblatos hos à pia matrona commentariū introſpexiſſem, & perlectis tribus aut quatuor pagellis, multa utilia ex illa, multa etiam non

uulgaria

ubiq; obuia reperissem, rogaui ne premerētur, sed ut ad Ecclesiæ utilitatē excudi curaret. Meā etiā operā hic ultrò obtuli, promittēs me Ecclesiæ iuuandæ & de pijs bene merendi studio descripturū esse, ut excudi posset. Nam ipsius autoris manus propter tumultuariam et festinatam scriptionem, multasq; et paucis notas abbreuiatiões (sibi enim nō alijs scripserat) impeditior, intricatior & perturbatior fuit, q̄ ut à quouis legi posset, & adeo etiā impedita, ut et nos postea in reuidēdo in multis locis hesitauerimus & diuinauerimus, atq; ī nōnullis locis nullā satis certam sententiam exculpere et eruere potuerimus. Cū autem hic operam meā promisissem, non difficilem se quoq; in communicandis his cōmentarijs præbuit optima matrona, omnibus piæ fœminæ uirtutibus ornata: nec hunc tantū dedit, sed et alium quendā qui propediem toti Ecclesiæ communis quoq; fiet.

Vbi uerò iter susceptum continuans peruenissem Vuitebergā, salutiferæ Christi doctrinæ ac ueræ pietatis domum, uni atq; alteri ē patribus in Christo meis hæc collectanea ostēdi, ut eorū quoq; iudicium & sententiam audirem. Qui cū aliquot pagellas percurrissent, statim pronūciauerunt [illegible] utilem Ecclesiæ eū librum futurum esse, [illegible] ut ad Typographum mitterem, autores fuerunt.

Dixi qua occaſione edendi huius operis mihi copia facta ſit. Sed ne quorundam, bonorũ etiam, iudicia contẽnere uideamur, dicendum nobis eſt, quo conſilio & in quẽ uſum hec ſylua à nobis edatur. Exiſtimãt pleriq; et inter hos quidã nõ mali uiri, ſatius eſſe premere domiq; cõtinere, q̃ in cõmune conferre huius generis ſcripta, et quenq; id facere quod hic uir indefeſſi ſtudij aliiq; fecerunt, et ſuũ quenq; laborẽ iudiciumq; in uerſandis ueterũ monumentis adhibere: exiſtimant huiuſmodi collectioneis Bibliæ ſacræ & ſanctorum Patrũ ſcripta aut omnino è manibus excuti, aut certè negligi à multis, ad ocium ſuũ plus æquo propenſis, dum aliorũ laboribus contenti, ſuoq; conſulentes compendio, riuulos, fontibus omiſſis, ſectantur.

Etſi uerò negari non poteſt, non deeſſe qui tam ſanctis laboribus ad negligentiã & ignauiam ſuã abutantur, neutiquàm tamen hoc cõſilio laborioſæ aliorum lucubrationes publicè exhibentur typis excuſæ, nec debet hoc acceptũ ferri huiuſce monumentis, per ſe ad publicam utilitatem comparatis, ſi modo quis eo, quod per ſe bonum eſt, rectè uti uelit. Cõmunicant enim eruditi priuatim elaborata, non ut lectores ſtudiũ euoluendi ſacras litorum et Patrum monumenta, quæ uigilijs & labõribus multis conſtituerunt, remittant, et ut à fontibus abducti, riuulis intendit. Hoc igitur potius, ut aliorum diligentia excitati, acrius in idẽ ſtudium incumbant, et ut deguſtatis riuulis, ex fontibus deductis, adeãt ipſi fontes, et inde hauriant auidius.

Ponũtur ad uias indices & Mercuriales ſtatuæ non ad ignauiã, ut uiatores horum indicijs contẽti, ſub herbam ſe proſternant, et ibi deſidentes, à cõſcĩdo itinere deſiſtãt, ſed ut uiatores, gnari uiæ, iter ſuſceptum ſtrenuè transmittant. Ita hi commentariorũ indices non deſidiæ ſubſeruiunt, ſed compendio uelut uiam indicant, qui Lectores ſtrenuè inſiſtant, et quaſi in primum curriculum inducti, quod reſtat ſpaciũ, ipſi integrè emetiantur, & propius introgreſſi, cuncta luſtrent, totamq́; ueterum ſupellectilem perſpiciant, atq; ita piorum patrum dicta cum ſpiritus ſancti doctrina, ſacratioribus literis prodita, conferant, ut unde orta ſunt, eodem redacta refluãt, uelut riuuli ad ſuas ſcaturigines, & fontes ac flumina ad ſuum mare.

Aduerſarij impiè belligerantes contra ſummi Doctoris noſtri Ieſu Chriſti placita cœleſtiaq́; oracula quoties bella cient, prœliaq́; gigantũ cõmittunt, ſignis infeſtis cælo, Deo, Eccleſiæ, et ueritati ſetis & [illegible] cõcilia [illegible] ſcripturæ [illegible] ſunt ad [illegible] occurrunt, nec pa[illegible] catholicæ euangelio [illegible] delectu, ſpecioſa & [illegible] quam grauia & ſolida ſunt, vt [illegible] perſtringant & in alijs [illegible] loquitur ipſa quid libros ab orthodoxis nobis relictos non legunt, quòd ſi qui ex iſta inconſulta turba eos legant, quod faciunt id non ſolum nullo reprehenſibili et nocentiſſimi oſcitantia, ſed malitia ſe etiam perfidia. Sic enim dicta corrumpunt, deprauant, peruertunt & eneruant, in alienum ſenſum, ad ſuas impias opiniones et falſa dogmata aduerſos bonos patres trahunt & detorquent: nihil producunt ſynceré, alia hinc quædam nunc illinc fruſtulatim arripiunt, at qt ille inquit, iamq́; faces & ſaxa volant, furor arma miniſtrat. Sic ut obuia fruſtra arripuerunt, coagulant ſi quæ parum commodè dicta Patribus incautis & humano errore incuriáq́; prolapſa exciderint, aut ſi quæ falſo ab alijs cõfiĉta & ſuppoſita in Patres conferuntur, his freti pendant veri

acti

*tati insultantes, triumphant: rectè dicta oculis cæcis prætereunt uelut lapsæ, non adhibent sanū iudicium nec delectum ullum, non iudicāt de toto corpore et integra sententia, quid uoluerint aut quid in toto Patres spectārint: nullo minus doctrinā et sentētias ipsorū exigunt ad Canonem illum fidei sanctū infallibilē, ad normā scilicet scripturæ Propheticæ & Apostolicæ examināt, nō perpendunt, ut sententiæ & dogmata ueterū habeāt suam analogiam, testimonijsque diuina uoce Ecclesiæ traditis consentientē. Citāt ueteres tanq̄ aduersarios et falsarios scripturæ, omniumq́ errorum patronos, non hoc animo ueniūt ad eos, ut legant tanquàm discipulos, doctrinā suam scripturæ Canonicæ ut Magistræ acceptam ferentes, non ut testes nitētes oraculorum Dei ueritate, & ad eam nos remittentes, & hinc iactis fundamētis superædificātes, quemadmodum certè Augustinus, & alij sua & aliorum scripta legi uoluerūt. Sic enim Augustinus respōdet Cresconio urgēti authoritate Epistolæ Cypriani. Ego (inquit) huius Epistolæ authoritate nō teneor, quia literas Cypriani non ut Canonicas habeo, sed eas ex Canonicis considero, & quod in eis diuinarum scripturarū autoritati cōgruit, cum laude eius accipio, quod autem non* *congruit, cum pace eius reſpuo &c.*

*Contra hanc partim cæcutientiam, partim perfidiam, partim malitiam, ueris & proprijs armis inſtructos, uenire & pugnare milites Chriſti, præſertim doctores in prima acie conſtitutos, oportet et in promptu habere, firma præſidia, quibus Andabatas iſtos repellant. Et hoc conſilio tantũ laboris, beatæ memoriæ uir incomparabilis D. Vrbanus exhauſit, & ſi aliâs multis occupationibus diſtractus, ne inermem contra antagoniſtas non minus perfidos quàm improbos, pugnæ ſe committeret. Et uidemus quàm feliciter utatur Patrum teſtimonijs, ubi ea, cõſona diuinis eloquijs, et analogæ fidei, pondus habere debent, & quàm fortiter aduerſarios reprimat, cædat fundatq́;.*

*Quare quæ huic militi Chriſti uſui fuerunt in ſancta iſta militia pro ueritate & grege Chriſti, quis neget etiam multũ conferre poſſe alijs in eadẽ ſtatione collocatis, & quidẽ magno laboris ac temporis compendio, dum hæc iam alieno labore præparata in procinctu habent, quod certè non ingrati Lectores pro tanto beneficio facilè agnoſcent, præſertim aliâs ſic occupati, ut ſpacioſa Patrum uolumina non uacet euoluere: quibus etiam cum primis ex charitatis officio, editis his commen-*

tarijs ſeruire uoluimus, ut hac in parte multū ſublevarentur, et admoniti ipſi omnia accuratius inquirerēt, pleniusq́; pro ſe alijsq́; abſoluerēt, non contenti præformato ab alijs labore, ueluti puerī nutricū præmanſis: Ne dicam hanc operam etiam profuturā ijs, quibus præ rei anguſtia, copia non eſt, ut magno precio ſibi cōparent, & legant quæ priores poſteritati reliquerunt.

Dixi hactenus quo conſilio, & in quem uſum hæc Collectanea in manus hominū emiſerim. Nūc paucis addam cur tuæ potiſsimū Celſitudini nuncupare mihi in cōſilio fuerit. Fortè illo ipſo tempore quo Patres in Chriſto meos Vuitebergæ ſalutarem, agebat ibi & Dominus Magiſter Georgius Heltus Forchemius beatæ memoriæ quē tua Celſitudo inter intimos ſemper habuit, quem & ego propter eximiam pietatem, ſingularē uitæ ſanctimoniam, reconditam doctrinam, uariarum rerum cognitionē aliaq́; dona ac uirtutes inſignes, ſemper ab eo tempore, quo mihi cū eo aliqua noticia interceſſerat, unicè amaui & colui. Is cū hos Cōmētarios uidiſſet, meumq́; de ijs in publicū edendis inſtitutū probaſſet, etiam atq; etiam à me contendit, ut propriam manū ipſius autoris, tuæ Celſitudini poſt editionem dono mitterem, quòd tua

Celſitudo ipſum Vrbanum ſemper amaſſet mirificè, & feciſſet maximi, quandoq; nõ dubitaret quin αὐτόγραφον, ſeu ipſius autoris manu tuæ Celſitudini multò gratior & carior eſſet futurum, q̃ uel elegantiſsimis typis excuſum exemplar.

Cùm itaque tanti à tua Celſi. factus ſit horum Commentariorũ autor, eumq; quærendus fuerit patronus aliquis, qui huic libro, utiliſsimo quidẽ, ſed non expolito quia ab ipſo autore edito, fauoris et ſplẽdoris aliquid, nominis ſui lenocinio ac ſplẽdore adderet, cuiusq; nominis auſpicio, prodiret fœlici auſpicio in publicum, tuæ Celſitudini eũ inſcribere, tuiq; clariſsimi nominis ſplendore et gratia Lectori cõmendare uolui. Nomen enim Celſitudinis tuæ non tantũ propter ſtemmatis celſi nobilitatem ac uetuſtatem, ſed maximè propter excellentem pietatem, admirandam in Principe doctrinã, ardentiſsimũ in iuuanda, ornanda ac propaganda uera religione ſtudium, amabilem morũ ſuauitatem, inſignem ſapientiam ac prudentiam, ſummam humanitatem ac manſuetudinem, aliasq; maximas uirtutes omnibus pijs gratioſum, ſuſpiciendũ ac uenerabile eſt. Nec ulli principi aptius hos Commentarios puto cõſecrari potuiſſe, ſi illis potiſsimũ dedicandæ ſunt lucubrationes, qui non

tantum

ſtinctius nominis ſui ſplendore & amplitudine illuſtrare, ſed iudiciū etiā de ijs facere poſſunt. Nullum enim puto in eo ordine eſſe, qui tanta doctrina, tanta ſacrarum literarum intelligentia, qui maiori acumine & dexteritate iudicij, tanto in ſpiritualibus exercitijs uſu, tantaq́; Hebraicæ linguæ cognitione excellat, ac proinde exactius meliusq́; quàm tua Celſitudo de eius generis ſcriptis iudicare poſſit. Quare rogo Princeps illuſt. & Domine reuerendiſſime, ut hos ſanctiſſimos ſanctiſſimi uiri Commentarios & me quoq;, tuæ Celſitudinis obſeruantiſſimum, in patrocinium ac tutelam ſuſcipere digneris. Bene uale in Chriſto, qui T. Celſi. Eccleſiæ ſuæ quàm diutiſſ. ſeruet incolumem. Ex Hamburgo.

Menſe Ianuario.

# CATALOGUS LOCORUM COMMUNIUM D. URBANI RHEGII,

*qui in hoc libro tractantur.*

HOmo, hominis vires, Liberũ arbitriũ 1
Peccatum 6
Fructus peccati, Vitia 22
Pœna 23
Lex ibidem
Promiſsiones 31
Inſtauratio per Chriſtum ibidem
Gratia, Gratiæ fructus 38
Fides, Charitas, Spes 47
Prædeſtinatio 71
Signa Sacramentalia 73
Homo, Hominum ſtatus 79

Magiſtratus

| | |
|---|---|
| Magiſtratus | [illegible] |
| Epiſcopi, Pontifices | [illegible] |
| Beatitudo | 60 |
| Euangelium, Verbum Dei | ibidem |
| Purgatorium | 68 |
| Conſolatoria pro morte | 77 |
| Contra traditiones hominum | 88 |
| Scandalum, de infirmis in fide | 90 |
| Veſtium, Cerimoniæ, ciborum delectus | 92 |
| Imagines in Eccleſia | 99 |
| Libertas, Seruitus ciuilis | 102 |
| Chriſtiana libertas | 106 |
| Paſtorum, Scribarum, Phariſæorum, Sacerdotum impietas, ſcelera, officium | 109 |
| Hæretici | 116 |
| Laborandum omnibus | 117 |
| Cœlibatus, Conſilia | 118 |
| Sancti, eorum cultus | 120 |
| Diues, Diuitiæ, Auaritia | 128 |
| Matrimonium | 130 |
| Confeſſio | 148 |
| Ira, Vltio | 176 |
| Luxuria | ibidem |
| Gula | ibidem |
| Anima | ibidem |

[illegible]

FINIS CATALOGI

## Homo Hominis uires, Liberum arbitrium.

Auguſtinus de gratia & libero arbitrio.

Diſputatio Lypſiæ habita per Eccium & Caroloſtadium.

Theophoretus de Seruo arbit. contra Eraſ.

Theophoretus in Poſtilla.

Philippus in locis communibus.

Theophoretus in ſermone die Petri & Pauli habito Lypſiæ, de captiuitate Babylonica.

An poſsit homo in puris naturalibus emereri de congruo gratiam, incipere ſalutem, gratiam uel ſe operibus ſuis pertrahere, uide Theopho. in Antilatomo, quantum ἀθ. & Theologia ſcholaſtica tribuerit naturæ ante gratiam.

Liberum arbitrium gratiæ collatum, inuenitur eſſe merè paſsiuum in omni actu ſuo, qui uelle uocatur. Et ſomnium carnis eſt, quòd Eccius ait: Actum bonum eſſe totum à Deo, ſed nõ totaliter: quia actus bonus eſt totus & totaliter à Deo, quia uoluntas, gratia non niſi rapitur, trahitur, mouetur, qui tractus redundãs in membra & uires ſeu animæ ſeu corporis, eſt eius actiuus, & nulla alia, ſicut tractus ſerræ ſecantis lignum, eſt ſerræ merè paſsiuus à ſectore, nec ad tractum ſuum quicquam cooperatur, ſed tamen tracta iam in lignum operatur.

*tur, impulſa magis quàm impellens, quæ ſerratio opus eius cum ſerratore dicitur, cum tamen merè patiatur. Vide Hieronymum in Hieremiam cap. 18. eodem libro & capite, uide elegantia.*

*Eſai. 41. Bene quoque aut male ſi poteſtis facite. Vbi Propheta innuit, adeo nihil nos agere ex nobis, aut libero arbitrio, ut ne in malum quidem poßit liberum arbitrium.*

## DVAE EXTREMAE OPINIONES de Libero arbitrio.

Manichæus.

*Vna Manichæi, quæ penitus tollit liberum arbitrium: hanc & Vuickleuo tribuunt, Conſtantienſi Synodo exploſam: hæc omnia mera neceßitate euenire docuit.*

Pelagius

*Altera Pelagij, qui tantum legitur tribuiſſe libero arbitrio, ut ob id gratiæ hoſtis diceretur. Docuit enim ſemel liberata ſancitaq; per gratiam hominis uoluntate, non opus eſſe noua gratia, ſed liberi arbitrij præſidijs pertingi poſſe ad ſalutem æternam.*

*Media plurimum tribuit gratiæ, libero arbitrio penè nihil, nec tamen in totum tollit: negat hominem poſſe uelle bonum ſine gratia ſpeciali, negat poſſe incipere & progredi, negat poſſe perficere ſine perpetuo gratiæ præſidio. Hæc ſententia relinquit homini ſtudium & conatū, & tamen*

non

non relinquit quod ſuis aſcribat uiribus: dicit agere uel uelle illud ſic operatur uoluntas: ſic uult quòd Deus illud uelle operatur; excitat uoluntatē, & incitat ad ſic uolendum, & non aliter, quo pacto nihilominus gloria manet Chriſti, & creata Dei uoluntas ſua functione non prorſus priuatur.

## PRO ACTVALITATE LIBERI arbitrij reſpectu operis boni ſunt ij loci.

Deutero.3.30.Eſai.1.Si uolueritis.etc. Eccleſiaſtici 15.Eſa.21.Si quæritis, quærite &c.Idē ca.45. Congregamini, & uenite. Idem cap.52. Conſurge, conſurge Eſai.46.Conuertatur unuſquiſque à uia ſua &c. Hiere.cap.15. Si conuerteris, conuertā te. Exod.32. Deutero. Conſidera quòd hodie in conſpectu tuo propoſuerit uitam & mortem. Hiere. Ecce, do corā uobis uiam uitæ & mortis. Gala. 1. Si adhuc mundo placerē &c. Ad Cain in Geneſi. Nonne ſi bene egeris, recipies &c. Zachariæ 1. Conuertimini ad me &c. Ezechiel.18.Si impius egerit. Et, Proijcite à uobis omnes iniquitates. 33. Nolo mortem peccatoris &c. Reuertimini & uenite.Pſal 36. Declina à malo, & fac bonum. Iohel.2. Conuertimini in toto corde. Ionæ 3. Conuertatur uir à uia ſua mala.

Hieronymus in primo libro contra Pelagi. Tunc iuſti ſumus quando nos peccatores fatemur,

& iuſticia noſtra non ex proprio merito, ſed ex Dei conſiſtit miſericordia. item illud, iuſtus accuſator eſt ſui. Idem: Hæc eſt hominis uera ſapientia, imperfectum eſſe ſe noſſe, atq; ut ita loquar, cunctorum in carne iuſtorum imperfecta perfectio eſt.

Homo malè audit in ſcripturis, fermè pro peccatore accuſatur, ut Geneſis 6. & 8. Non permanebit Spiritus meus in homine, quia caro eſt. Paulus: Nonne homines eſtis? Secundum hominem dico. &c. Humano dic. Pſalm. 81. Vos ſicut homines moriemini. Item, Quid eſt homo, quòd memor es eius. Item, Noui cogitationes hominum quòd uanæ ſint. &c.

Auguſtinus ſuper Ioannem: Chriſtus eſt caput Eccleſiæ, non ſolum ſecundum diuinam naturam, ſed etiam ſecundum humanam.

Hieronymus ſuper Hieremiam cap. 26. ſuper uerbo, forſitan audiant: Verbum (inquit) ambiguum, forſitan, maieſtati diuinæ conuenire non poteſt, ſed noſtro loquitur affectu, ut liberum homini ſeruetur arbitrium, ne ex præſcientia eius quaſi neceſsitate uel facere uel non facere cogatur. Non enim ex eo quòd Deus ſcit futurum aliquid, idcirco futurum eſt: ſed quia futurum eſt, Deus nouit, quaſi præſcius futurorū. In noſtra ergo poteſtate poſitum eſt uel facere quid, uel non facere. [illegible] bemus, et quicquid boni operis uolumus, appetimus, explemus, ad Dei gratiam referamus, qui iuxta Apostolum dedit uelle & perficere. &c. Hæc Erasmi de libero arbitrio est sententia.

Hieronymus in Hieremiã cap. 32. super uerbo, Omnia quæ mandasti non fecerunt: Ad retundendam (inquit) eorum impudentiam, qui putant homines omnia posse complere, quæ se facturũ esse pollicitus est.

Hieronymus lib. 2. in Pelagianos: Perfectio hominis non ex natura, sed ex gratia prouenit. Idem eodem loco: Non liberi arbitrij potestate, sed Dei clemẽtia conseruamur. Mandata impossibilia naturæ, possibilia gratiæ.

Idem eodem: Frustra semper oramus, si in nostro arbitrio est facere quod uolumus. Et ibidem in loco Lucæ, Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia apud Deum. Ergo aliqua quæ apud homines impossibilia sunt, certe ea esse possibilia ostenditur, quod apud Deum possibilia sunt. Sit ergo & apud Deum possibile, hominĩ si uelit donare impeccantiam, non ipsius merito, sed sua clemẽtia, & apud homines nequaquam possibile, liberi arb. potestate, quod nisi donãtis accipitur.

Idem libro. 2. super uerba Christi: Quos dedisti mihi custodiui. Non dixit: Dedi eis liberi arbitrij pote-

Potestatem, ut ipsi se suo labore saluarent, sed [illegible] custodiuntur, Ergo seruati.

Et super cap. x. Act.: Tentabant ire in Bithyniam, non permisit Sp̄us Iesu, satis importune si ad faciendi uel non faciendi semel dederat liberi arbitrij potestatem.

Et super uerbo, Veniam ad uos Deo uolente, Cur interposuit uoluntatem Dei, si habebat sui arbitrij potestatem? Eodem loco dicit: Dauidem fragili suae uel arbitrij libertati relictum, in adulterium & homicidium eſſe lapſum.

Hieronymus ſuper Hieremiam cap. 31. in uerbo, Poſtquam conuertiſti me. Ergo (inquit) et ipſum quod agimus pœnitentiam, niſi Dei nitamur auxilio, implere non poſſumus. Vide quantum ſit auxilium Dei, & fragilis humanae conditio, ut hoc ipſum quod agimus pœnitentiam, niſi nos Deus ante conuerterit, nequaquam implere ualeamus. Hieronymus in Nahum cap. 1. contra liberum arbitrium.

Auguſtinus in ſermone de uerbis Apoſtoli, Sunt homines ingrati gratiae, multum tribuentes inopi, ſauciaeq; naturae. Verum eſt, magnas arbitrij liberi uires homo cum conderetur, accepit, ſed peccando amiſit, in mortem lapſus eſt, infirmatus factus eſt, in latronibus ſemiuiuus relictus eſt.

Hieronymus ſuper [illegible] cap. 8. [illegible]

[illegible]

quæſtionem non eſſe in noſtra uoluntate poſitum omni carere peccato. Idem ibidem ca. 9. Non in noſtra uoluntate, ſed in Domino confidendum eſt. Vbi ſunt ergo qui dicunt, hominem proprio regi poſſe arbitrio, & ſic datam liberi arbitrij poteſtatem, ut Dei miſericordia tollatur atq; iuſtitia?

Idem ſuper cap. 10. Hieremiæ, ſuper uerbo: Scio Domine, quia non eſt hominis uia eius. Erubeſcant (inquit) noui prædicatores, qui aiunt unumquenq; ſuo arbitrio regi, quando & hic Propheta dicat, non eſt hominis &c. Et Dauid Pſal. 36. A Domino greſſus hominis dirigentur.

Hieremi. 16. Hieronymus, quum Propheta dixiſſet, peccatum Iudæ ſcriptum eſſe ſtilo ferreo &c. Mox ſubdit in expoſitione: Si hoc ita eſt, ubi illud quod animi deliria confingit, poſſe hominem ſine peccato eſſe, ſi uelit, & facilia Dei eſſe mandata. Paulò infra dicit: Maledictus qui ponit carnem brachium ſuum fortitudinem ſuam, & quicquid egerit non Domini clementiæ, ſed ſuæ putauerit eſſe uirtutis, qui enim hoc agit, à Domino recedit cordis, aſſerens ſe poſſe, quod non poteſt.

Hieronymus Hieremiæ 18. Cum dixiſſet populus, poſt cogitationes noſtras ibimus, ait: Vbi eſt ergo abſq; gratia Dei liberi arbitrij poteſtas, & propria iudicium uoluntatis, quũ grauius offendiſſe ſit Dñi, ſequi cogitationes ſuas, & prauũ cordis ſecum voluntatem.

Hieronymus ſuper Ezech. 29. Niſi Dominus omni cuſtodia ſeruauerit cor noſtrum, in vanũ vigilat, qui putat illud ſua diligentia poſſe ſeruari.

Item ſuper Hieremi. 23. Vide elegantia.

Idem ſuper Hieremi. 25. Si lex ſemel in adiutorium data eſt, & conſtituta præcepta, quæ noſtri arbitrij voluntate vel facimus vel nõ facimus, quomodo Propheta ſe ſemper ingerit, & quotidie replicat mandata Dei, quæ vtiq; ſemel accepta ſufficerent eis, quibus data fuerãt, niſi ut hoc oſtenderet, Dei nos ſemper indigere auxilio, et nunquã poſſe ſufficere quod ſemel datum eſt, niſi quotidie Domini admonitione renouetur.

**Prædeſtinatio.**

Non ex viribus noſtris, ſed ſola gratia ad Deũ venire, docet Auguſtinus, de prædeſtinatione ſanctorum cap. 8. ex dicto Chriſti Ioan. 6. Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet, credet in me, ſed vt fiat Pater dat. Itẽ, Omnis qui audit à Pat. &c. Valde remota eſt (inquit) à ſenſibus carnis hæc ſchola, in qua Pater auditur & docet vt ad Filium veniat, vbi aufert cor lapideum, et dat cor carneum.

Auguſtinus: ibi eſt & ipſe Filius, quia ipſe eſt verbum eius, per quod ſic docet, nec agit hoc cum carnis aure, ſed cordis. Ezech. 11. Inſcribã legem

in

in infernu. [illegible] Sic quippe facit filios promiſsionis & uaſa miſericordiæ, quæ præparauit in gratiam.

Auguſtinus: Cur ergo non omnes docet ut ueniant ad Chriſtum, niſi quia omnes quos docet, miſericordia docet: quos autem non docet, iudicio non docet, quoniam cui uult miſeretur, & quem uult indurat: ſed miſeretur bonum tribuens, obdurat digna retribuens.

Auguſtinus lib. de prædeſtinatione ſanctorum cap. 8. ſimile adfert pro declarando loco. 1. Tim. 2. Deus uult omnes ſaluos &c. Sic (inquit) integre loquimur, cùm de aliquo literarum magiſtro qui in ciuitate ſolus eſt, dicimus, omnes iſte hic literas docet, non quia omnes diſcunt, ſed quia nemo niſi ab illo diſcit, quicunq; ibi literas diſcit. Ita recte dicimus: Omnes Deus docet uenire ad Chriſtum, non quia omnes ueniunt, ſed quia nemo aliter uenit. Cur autem non omnes doceat, aperuit Apoſtolus in quantum aperiendum iudicauit, quia uolens oſtendere iram, &c. Hinc eſt quòd uerbum crucis pereuntibus eſt ſtultitia: his autem qui ſalui fiunt, uirtus Dei, hos omnes docet uenire ad Chriſtum Deus, hos omnes uult ſaluos fieri, et in agnitionem ueritatis peruenire. Nam & ſi illos, quibus ſtultitia eſt uerbum crucis, ut ad Chriſtum uenirent, do-

Cur non omnes doceat.

bere noluiſſet, procul dubio uenirent & ipſi. Non enim fallit aut fallitur qui ait: Omnis qui audiuit à patre & didicit, uenit ad me, abſit ergo ut quiſquam non ueniat, qui à patre audiuit & didicit.

Idem. Quum Euangelion prædicatur, quidam credunt, quidam non credunt, ſed qui credunt prædicatori forinſecus ſonante, intus à patre audiunt atq; diſcunt, qui autem non credunt, foris audiunt, intus non audiunt neq; diſcunt, hoc eſt, illis datur ut credant, his non datur.

Hieroymus libro ſecundo de libero arbitrio, contra Pelag. Voluntas Dei non diſcutienda, ſed cum gratiarum actione patienda eſt. Quo loco contra liberum arbitrium ex libro Regum de Achitophel diſputat. Idem libro 3. contra Pelag. Homo per Dei gratiam ſine peccato eſſe poteſt, ſed non per ſe. Homo per ſe & propria uoluntate ſine peccato eſſe non poteſt.

Idem libro tertio: Hoc egi, ut omnipotentiam Dei cum libero arbitrio conſeruarem. In tertio idem: Quid precantur à Domino quod habent in liberi arbitrij poteſtate? Item, Legem neminem potuiſſe implere &c.

## Peccatum.

PEccatum poſt Baptiſmum nondum penitus nihil eſt, contritum tamen eſt & ſubiectum, ut iam non poßit quod potuit. Theoph.

Chriſtus peccatum pro nobis factus, Metaphorice, id eſt, ſimilis peccatori, damnatus, derelictus, confuſus: niſi quòd reatum & peccatum quod tulit, ipſe non fecerat. Theophor. in Antilat.

De originali, uide Theopho. de triplici iuſticia.

Quomodo reliquiæ peccati originalis in nobis, Theophor. in Antilat. de Iebuſæo.

Concupiſcentia quæ remanet poſt Baptiſmum, à Paulo uocatur peccatum, ab Auguſtino in quadã ad Hieronymum Epiſtola, uitium uocatur. Peccatum in nobis poſt Baptiſmum uere peccatum eſt naturaliter, quanquã per Baptiſmum in nobis ſit captum, iudicatum, ut in gratia nihil poßit, nõ damnet, ſed extra gratiã præualet. In Antilat. illic uide quomodo à peccatis & morte ſimus liberati.

Quomodo à peccatis & morte ſimus liberati.

Rom. 6. Ne regnet peccatum, aperte reliquum malum Baptiſmatis uocat peccatum, ibidem uocat corpus peccati &c.

Auguſtinus. Remittitur in Baptiſmo uniuerſum peccatũ, non ut non ſit, ſed ut non imputetur. Vide Antilat. uide Theophor. in aſſertionib. artic. 2.

Baptiſmus tollit omnia peccata non ſecundum ſubſtantiam, ſed plurimum ſecundum ſubſtantiam,

& totum ſecundum uires eius, ſimul quotidie tollens ſecundum ſubſtantiam ut euacuetur, non poteſt, quod potuit ante, id eſt, non poteſt nos tyrannice reos agere coram Deo iam propter fidem conuincente.

In ſanctis eſt peccatum regnatum, nō regnans: uere in ſanctis eſt peccatum, ſed iuxta Apoſtolum Rom. 6. non regnat in eis, propter gratiam fidei præualentem. 1. Ioan. 3. Qui natus eſt ex Deo, non peccat, & non poteſt peccare, quia peccatum non prædominatur in membris eius.

Omnia peccata in Baptiſmo uerißime ſunt remiſſa, ſed nondum abolita omnia: circumferimus enim adhuc corpus peccati, & tunicā maculatam, agimus quotidie per gratiam, & expectamus, ut fiat etiam omnium peccatorum abolitio, & omnimoda euacuatio, & ij qui in hoc laborant, faciunt opera bona, quæ non ſic bona ſunt, ut ſine omni uitio ſint aut neuo peccati, cum in carne fiant, ſed ideo bona habentur, quia aduerſus peccatum pugnando ſancta ſunt, & Deus ideo non imputat, quia reſiſtimus per gratiam. Deo placet, non quia dignum, ſed quia ipſe indulſit & acceptare promiſit. Sic Auguſtinus 1. Retractat. 19. diſputans, an mandata Dei impleantur in hac uita. Concludit, omnia mandata Dei implentur, quando quicquid

[illegible]

non ſit ignoſcitur, ubi aperte dicit, non operibus factis, ſed miſericordia ignoſcente Dei, mandata impleri.

Sophiſtæ coguntur concedere illud reliquum Baptiſmo, tale eſſe peccatum quod miſericordia egeat, & natura ſua malum & uicium ſit, cui ſi conſentias, etiam regnare peccatum feciſti, & ſeruiſti ei, ac mortaliter peccaſti. Facit ad hoc fortißime Paulus, Rom. 6. ut nemo negare poßit, duo mala ſupereſſe Baptiſmo, peccatum & concupiſcentiam eius, uerba Pauli aperta ſunt, peccatum, fomes ipſe naturale malum. Concupiſcentia, motus eius, huic non obediendum, illud deſtruendum dicit, ut deſtruatur (inquit) corpus peccati.

Adſerere cum Manicheo, hominem peccatum uitare non poſſe, hic error hæreſis eſt, quia hinc probare uolunt Deum impellere & cogere hominem abſoluta neceßitate ad peccandum. Aliâs uerum eſt, maximè quantum attinet ad internos prauos affectus, hominem peccatum uitare non poſſe, ſed ſemper infirmũ & imperfectum eſſe. 1. Ioan. 1. Si dixerimus, peccatum non habemus, &c.

Adſerere cum Iouinianiſtis & Stoicis, peccata eſſe paria. Reclamat Chriſtus Mat. 11. ubi dicit peccata Corozaim, Bethſaidæ & Capernai eſſe grauiora, quàm peccata Tyri & Sidonis. Vbi etiam

diſtin-

diſtinguit inter pœnas & pœnas pro peccatis.

Cap. 7. Pauli de concupiſcentia aut lege membrorum uarie eſt explicatum per Originem, Hieronymū, Auguſtinum, Ambroſium, Damaſcenū, & Paulinum. Origenes, Hieronymus & Iſidorus lib. 2. de ſummo bono, contendunt Apoſtolum loqui de conſuetudine peccandi, quam ſub lege habuit, quæ eum ad mala impellebat. Origenes putat probabile, & S. Paulinus ad Seuerū opinatur Apoſtolum non locutū per ſe, ſed in perſona infirmorum, quæ aliquando fuit ſententia Auguſtini. 6. cōtra Iulianū ca. 11. Hinc hominum ſcripta ſunt ſibi contraria, alibi enim Auguſtinus, eam concupiſcentiam uitium uocat. Non igitur in arenam humanorum ſenſorū, ſed in petram uerbi Dei ædificet, qui contra tempeſtates errorum uult muniri.

Auguſtinus in Retract. & lib. 1. cap. 23 cōtra Iulianum cap. 11. Ita reuocat hanc opinionem (qua uoluerat olim Paulum in aliorum perſona nempe malorum fuiſſe locutum) ut neget à ſe fuiſſe intellectum Paulum antea, dum aſſeruit eum in perſona aliorum fuiſſe locutum.

Sophiſtæ putant concupiſcentiam illam legem membrorum, quamuis fuerit peccatum ante Baptiſmum, tamen poſt Baptiſmū nō eſſe peccatum, dicunt concupiſcentiam infirmitatem illam & maſtam ualetudinem, legem membrorum, legem carnis non eſſe peccatum nec mortale nec ueniale, & poſt Baptiſmum non originale. O blaſphemias, nam & Ethnici externa illa norunt, quæ etiam carnalis ſapientia damnat. Peccatum in ſcripturis ferè ſemper accipitur pro radicali illo fermento, originali peccato, quod fructificat mala opera et uerba, nam hoc peccatum proprie reuelat lex prius incognitum, & mortem, ut Rom. 5. dicit, quod & uiuacißime latet ſub operibus ſpecioſis hypocritarum

Peccatū.

Peccatum tractatur aut Lege aut Euangelio.

Si ſola Lege tractatur, mors & ira eſt.

Si ſolo Euangelio, gratia & uita eſt. Manet tamen ſub utroq; uere & naturaliter peccatum, ideo Patrum authoritates, ſi qui negant peccatum eſſe in iuſto, omnes intelligendæ ſunt ſecundum gratiā, qua Deus credenti non uult imputare, quis ſecundum iuſtum iudiciū poſſet damnare, ſed non intelligatur ſecundum naturā peccati uel legem, Chriſtus enim nos liberauit, ut iam non ſimus ſub lege, ſed ſub gratia. Ioan 1.

Item peccatū eſt concupiſcentia remanens poſt Baptiſma, ſollicitans nos ad mala. Clara ſunt Pauli teſtimonia paßim Ro. 6. Peccatum in mortali ueſtro corpore. Corpus peccati deſtrui debet, Ro. 8.

à lege peccati liberari, Rom. 7. Peccatum operari, peccatum repugnare, peccatũ captiuare, Seruire legi peccati. 1. Cor. 7. incontinentiã uocat. 1. Cor. 5. Fermentum uetus malitiæ & nequitiæ. 2. Cor. 4. Homo externus. Ephes. 4. Veterem hominem. Coloſ. 3. iram, libidinem, auaritiam. Heb. 12. Circumſtans peccatum. Breuiter, nuſquam non peccati & uitij nomine has appellat reliquias. In Antilat. De Samaritano & ſeminiuo in Aſſertio. Matth. 13. De tribus ſatis. Ioan. 15. de palmite purgãdo. 1. Ioan. 1. Si dixerimus, peccatum non habemus, notat Auguſtinus q. dixit, habemus, non dixit, habuimus. Pſal. 18. Delicta quis intelliget. Pſal. 50. petit ſpiritũ rectum, & cor mundum petit. Vide diſt. 30. ſecundi contrà Pelagium, Iulianum, hæreticos, negantes peccatum originale quòd ſit peccatum originis. Et quomodo à patribus in natos traducatur, an ſecundum animam uel corpus? Anima prius infecit corpus, iam corpus & animam.

Peccatum reliquum Baptiſmo nemo paruum exiſtimet, modis omnibus magnum eſt, & magno Dei dono tollitur, magnaq́; gratia ignoſcitur propter ſpiritum, qui non repugnat, ſed condelectatur legi Dei. Theophoretus.

Non idem ualet peccatũ ubiq;, ante Baptiſmũ, uictor eſt peccatum, poſt Baptiſmũ uictum rebel-

lat

cti ſpiritui. Gratia enim & donum, Rom. 5. conſeruant hominem, ut non poßit peccare, id eſt, conſentire huic peccato, & perire.

Infirmitates & pœnæ non cadunt ſub præcepto, nec ſunt in arbitrio noſtro, præcepta feruntur tantum ſuper peccata, et ea quæ nos reos faciunt. Quum igitur Paulus uetet concupiſcentiam à Baptiſmo in nobis reliquam, regnare, & dicit: Concupiſcentiam neſciebam eſſe peccatum, niſi lex diceret, certe concupiſcentia illa, aut originalis macula, peccatum eſt, & minus proprie tantum infirmitas uocatur, quaſi excuſetur peccatum noſtrum.

Quãdo in articulo dicitur in gloriã Baptiſmi, remißionem peccatorum nos conſecutos, ablutionem peccatorum eſſe factam, & ſimilia Patrum dicta pro gloria Sacramenti Baptiſmatis, omnia illa intellige uera eſſe, quantũ ad gratiam Dei & donum, Rom. 5. ſed non quo ad naturam peccati aut legem, quia manet fex originalis, quam donũ, id eſt, fides iugi conflictu expellit, ob id non imputatur reliquum peccatum.

Fomes ut ſcholæ notant, non eſt paruũ malum, aut qualitas ſtertens, ſed uerè peccatum, per gratiam Dei magis ac magis purgandum, eſt origo radix uiuaciſsima & inquietiſsima actualium, quæ ſic uocamus, peccatorum. Imò uerè eſt actuale peccatum actualis priuatio, ſiue defectus eius rei, quæ adeſſe debet, & actualis poſitio ſeu præſentia infirmitatis & aliorum affectuum, qui deeſſe debent. Vide Theophor. in aſſertionibus.

Deus nos in tribus miſericorditer certificauit, nè conſcientia fluctuans neſciret qualem Deum haberet. Primo certificauit nos quæ ſint bona opera, quæ manifeſta docuit per Spiritum ueritatis, Galat.5. Fructus autem Spiritus ſunt, Charitas, gaudium, pax &c. Et Mat.7. Ex fructibus eorum cognoſcetis eos. Secundo certificauit nos, illa ipſa bona opera quæ in carne facimus, ubi primitiæ duntaxat ſunt ſpiritus, non eſſe ſine uitio & peccato, ne in illis eſſet fiducia nobis, ut non dubia & fallaci confeßione poßimus in omni tempore, nos agnoſcere peccatores, & miſericordiæ uni innitamur. Tertio, ut pacem haberemus infallibilem, uerbum ſuum in Chriſto nobis dedit, in quod cum fiducia nixi, ſecuri eſſemus ab omni malo. Neque enim aduerſus uerbum, etiam portæ inferi ualent, cum omnibus peccatis. Ibi petra refugij noſtri, ibi cum Iacob etiam contra Deum luctari poſſumus, & ſuis eum promißionibus, ſua ueritate, proprio uerbo urgere (ut ſic dicam) audemus. Quis enim Deum iudicabit & uerbum eius? Quis etiam ſi-

dem

dem in uerbum eius accuſabit aut damnabit? Theophoretus in Antilat.

Gabr. 2. ſen. diſt. 31. q. 1. concl. 2. Dixit originale peccatum non tantum eſſe poenam, ſed & iuſticiam, iniquitatem ſiue culpam. Eſtq; ſententia Auguſtini de Eccleſiaſticis dogmatibus ante B. Anshelmū. Ratio, quia paruulus non baptizatus propter originale peccatū damnatur, ergo eſt culpa, quia Deus neminem damnat niſi habeat culpam.

Auguſtinus in 2. Epiſt. ad Valentinum: Soli enim paruuli qui nondum habent opera propria, uel bona uel mala, ſecundum ſolum originale peccatum damnabuntur, quibus per lauacrum regenerationis non ſubuenit gratia ſalutaris.

De hoſtijs pro uarijs peccatis uide Leuit. 5. 6.

Omne bonum opus in ſanctis uiatoribus eſſe peccatum, loquimur de ueniali peccato, nō de mortali & damnabili (uide Hieronymum in Hieremiā cap. 23. peccatum etiam in ſanctis.) ut intelligas & teneas quæ Gerſon dicit: Nullum ueniale peccatum ſit natura ueniale, & plures gratias Dei priuatiuas quàm poſitiuas eſſe, ſola autem miſericordia Dei eſſe ueniale. Quòd autem in omni bono opere peccet homo, uide Eſai. 64. Vbi uniuerſas iuſticias noſtras, quaſi pannū menſtruatæ abominatur, ubi ponit noſtras iuſticias apud Deum immundas eſſe

Gerſon.

teſtatur, quod priuatiue & poſitiue intellige, quia & deſunt in opere noſtro multa, & adſunt mala, ut languidus affectus & ſemiperfectus. &c. Et Eſaias hic nõ loquitur de iuſticia legali cõtra Hieronymum, ſed loquitur in perſona ſua, & totius fidelis populi, qui nõ iuſticia legis ſed gratiæ iuſti erant: ſiquidem & ipſi eandem eſcam manducauerunt, & eundem ſpiritum fidei habuerũt, ut Apoſtolus ait: 1. Corint. 10. Neq; enim iuſticia legis confitetur Deo in humilitate, non eſt accuſatrix ſui in principio, ſed inflata excuſat ſe & iuſtificat, ſicut iuſtus ille perſonatus, Luc. 18. Non ſum ut cæteri: quare ſolius gratiæ iuſtificantis eſt dicere & confiteri ſe eſſe immundum & iniquũ. Item Propheta dicit: Omnes nos, Vniuerſæ iuſticiæ noſtræ, ergo neminem excipit, nullam iuſticiam uiatorum mundam dici patitur, more Sophiſtarũ. 2. Paral. 6. Neq; enim eſt homo qui nõ peccet. 3. Reg. 8. Non eſt enim homo qui non peccet. Eccleſiaſtici. 7. Non eſt iuſtus in terra, qui benefaciat & non peccet, intellige in eodem etiam opere. Rom. 7. Quod nolo malum, hoc facio: quod uolo bonum, hoc non facio. Condelector enim legi Dei ſecundum internum. &c. Ecce unus homo Paulus, ſanctus, plenus gratia, ſimul delectatur in lege Dei, & ſimul repugnat legi Dei, uult bonum ſecundum ſpiritum,

& non agit tamen propter carnem, ſed contrarium, ergo peccat dũ bene facit. Omne igitur opus etiam ſanctorum in hac uita eſt peccatũ propter ſeruitutem peccati, qua tenetur captiuus in carne, ut legi Dei ſemper debitor & peccator maneat, hoc uno ſaluus, ꝙ cum Apoſtolo clamat: Infelix homo ego, quis me liberabit de morte corporis huius? Semper lex habet ius in eum, Anſprach.

Galat. 5. Caro concupiſcit aduerſus ſpiritũ &c. & hoc fit in eodem homine etiã in uno & eodem opere: dum igitur caro manet, id eſt, per totam uitam lucta illa manet in homine, inter ſpiritum & carnem, in uno acrior, in alio remiſſior, prout ſpũs fidei creſcit aut decreſcit in homine. Et ſemper in omni actu eſt aliquod debitum, & quidam defectus à lege, ubi ſemper tantum in actu peccati eſt, quantum eſt uoluntatis, difficultatis & repugnantiæ. Non enim ſine carne ſumus, nec ſine ea operamur, & qualis eſt caro talia operatur.

Nec moror quòd ſcholæ uerba Dei relinquunt, & defectum hic imaginantur. Ego ſcripturæ uerbis utar, & quod ipſa peccatum uocat, & ego peccatum uocabo: eſt certe defectus, ſed talis ac tantus qui damnaret, ſi imputaretur, ſed gratia efficit, ut non imputetur, quia contra eum pugnat aſſidue ſpiritus.

Habeo pro certiſsimo, Peccatum illud fomitis (quod Scholæ extenuando infirmitatem uocant) nihil differre à quouis crimine poſt uel ante Baptiſmum, quum ſit æque contra legem Dei, ſicut quodlibet aliud, niſi quòd non imputatur, & uocatur fomes, concupiſcentiæ originale peccatum, quod etiã eſt actuale, quædã praua cupiditas. Pſal. 142. Nõ intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia nõ iuſtificabitur in cõſpectu tuo omnis uiuens. Sic contra ſtultum articulum Conſtantienſis Concilij, id eſt, Thomiſtarum, audacter dicimus, omnẽ actum aut bonum aut malum eſſe, & nullus eſt actus neuter & malus.

Auguſtinus libro Confeſ. 9. Væ hominum uitæ, quantumcunq; laudabili, ſi remota miſericordia iudicetur: hinc ſequitur omne peccatum eſſe omnino mortale ex natura ſua, ſola autem miſericordia Dei ueniale.

Matth. 6. diuina maieſtas iuſsit orare, Remitte nobis debita noſtra: ſic orat tota Eccleſia uſq; ad finem mundi. Ecce, Deus ueniale peccatum tanti facit, ut præceptum ſtatuat orandæ miſericordiæ ſuæ. Cur igitur Sophiſtæ ſic extenuant illud peccatum, quod de ſe eſſet mortale & grauiſsimum, ſi iudicio Dei iuſto iudicaretur: non eſt res leuis miſericordia Dei, quæ ueniale ignoſcit.

Eodem loco uide Auguſtinum Epiſtola 29. ad D. Hieronymum de uirtutibus diſputantē, pulchra ad propoſitū. Vide Theophor. in magno opere. Hieronymus lib. 2. contra pelagianos ſuper illud Pſal. 31. Dixi confitebor, facit ad idem. Eodē loco lib. 1. Tunc iuſti ſumus, quādo nos peccatores fatemur. &c. Gregorius in moralib. ſuper illud Hiob. Non iuſtificabitur homo cōparatus Deo &c. illic multa. Hiob. 9. Verebar omnia opera mea. &c.

Rationes ad hoc propoſitum uide illic ex illo mandato per nos nunquam perfecte impleto: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde. &c. Item ex oratione dominica fortiſsimam rationem habes & tricornem. Illic ſoluitur locus. 1. Ioan. 5. Qui natus eſt ex Deo, non peccat: & concordat cum illo. 1. Ioan. 1. Si dixerimus quòd peccata non habemus. &c. Gregorius in Pſalmū tertium pœnitentialem libro. 2. Orat pro remiſsione peccati omnis ſanctus, quia ſine peccati macula ſolus inuenitur homo Ieſus Chriſtus.

## NVM DEVS MALI AVT peccati author?

Tho. 9. cap. Rom. ſuper id Exod. 9. Excitaui te, ut in te oſtendam potentiam meam, dicit uno modo poſſe intelligi. Excitaui te in peccatum, ut deterior fias, non quod Deus in homine cauſet malidum, ſed permiſſione intelligatur. [illegible] permittit quoſdam in peccatum [illegible] per præcedentes iniquitates, ut Rom. 1. Tradidit eos Deus in reprobum ſenſum. Cæterum (inquit) quiddam aliud etiam hic intelligi uidetur, nempe quod inſtinctu quodam interiori moueantur homines ad bonum à Deo, & ad malum. Vnde Auguſtinus de gratia & libero arbitrio dicit, quod Deus operatur in cordibus hominum, ad inclinandas eorum uoluntates quocunque uoluerit, ſiue ad bona pro ſua miſericordia, ſiue ad mala pro meritis eorum. Vnde & Deus dicitur ſæpius ſuſcitare aliquos ad bonum faciendum illud Danielis 13. Suſcitauit Deus ſpiritum pueri iunioris. Dicitur item ſuſcitare quoſdam ad malum faciendum, Eſai. 13. Suſcitabo [illegible] qui ſagittis paruulos interficiant. Aliter tamen ad bona, aliter ad mala. ad bona inclinat hominum uoluntates directè & per ſe tanquam bonorum autor. Ad mala Deus autem dicitur inclinare uel ſuſcitare [illegible], nempe in quantum Deus homini aliquid proponit uel intus uel foris, quod quantum eſt de ſe, eſt inductiuum ad bonum, ſed homo propter ſuam malitiam peruerſe utitur ad malum. [illegible] Thomas, quòd Deus ut [illegible] ſuſcitauerit [illegible] ad gloriam ſuam. [illegible] (inquit) ordinauit, non cauſat.

Thomas

Thomas diſputat hanc, Deus indurat. Nam duritia cordis ad culpam pertinere uidetur, Eccleſiaſtici 30. Cor durum male habebit in nouiſsimo. Ergo ſi Deus indurat, ſequitur q; ſit culpæ autor. Et reſpondet Thomas, quòd Deus non dicatur indurare directe, quaſi in eis malitiam cauſet, ſed indirecte, in quantum ex ijs quæ uel intus facit Deus in homine uel foris, homo ſumit occaſionem peccati, quod ipſum Deus permittit. Nō igitur dicitur indurare quaſi immittat malitiam, ſed non apponēdo gratiā, Eccleſiaſtici 30. Hominē natura uiciatum nihil opus immittere ad indurationem, ſufficit non trahere, ut relinquatur deſyderijs carnis & in deterius labetur ſemper. Alij dicunt, relinquendo in peruerſis naturalibus bene: nam ſic Geneſis 8. Senſus & cogitatio &c.

Tho. illic dicit, quòd Deus non diſponat reprobos ad malum, ſed ipſi de ſe habent diſpoſitionem ad malum ex corruptiōe primi peccati, unde Roma. 9. dicit, uaſa apta ad interitum, id eſt, in ſe habentia aptitudinem ad æternam damnationem, Geneſis. 6. Videns Deus quòd multa malitia. Hoc autem ſolum Deus circa eos agit, quòd eos permittit agere quæ contingāt poſtea. Non Deus ſic quos uult indurat, ut eos peccare compellat, ſed ſuſtinet eos ut ſecundum ſuā inclinationē tendant in malū.

1 Vnum eſt principium effectiuũ rerum omniũ, ex quo omnia ſunt, per quod omnia in eſſe conſeruantur, nempe unus Deus omnipotens. Act. 17. Rom. 11. Ioan. 1. Omnia per ipſum, &c. Geneſ. 1.

2 Errant igitur et blaſphemãt impij Manichei, qui duo principia rerum poſuẽt, alterum bonorũ, alterumque malorum. Omnium enim quæ ſunt, Deus cauſſa eſt. Auguſtinus de ciuitate Dei lib. 12. cap. 5. Deus ſummus eſt, & ab illo facta eſt omnis eſſentia, quæ non ſumma eſt.

Manichei

Idem de caſu diaboli cap. 19 diſcipulo loquitur: Quid mirum (inquit) ſi dicimus Deum facere ſingulas actiones quæ fiunt mala uoluntate, cum eum fateamur facere ſingulas ſubſtãtias, quæ fiunt iniuſta uoluntate, & inhoneſta actione. Et ibidem capite ultimo: A Deo neceſſe eſt omne eſſe, quod aliquid eſt. Et quum loqueretur de iniuſto Velle diaboli, quo peccauit, ſic ſcribit: Velle autẽ ſecundum eſſentiã bonũ eſt, ſed quoniã non iuſte factum eſt, eſt malum. Et tamẽ à Deo fuit, à quo eſt omne quod aliquid eſt. Idem de concordia præſcientiæ cũ libero arbitrio ait: Omnis quippe qualitas & omnis actio, & quicquid aliquam habet eſſentiam, à Deo eſt, à quo eſt omnis iuſtitia, et nulla iniuſtitia. Facit ergo Deus omnia quæ iuſta uel iniuſta uoluntate fiunt, id eſt, bona opera & mala. In bonis quidem

De caſu diaboli.

Diſputatio de horriſona hac enunciatione: Deus uult malum uel operatur Auguſti.

facit

ndis quòd ſunt, & quòd bona ſunt. In malis uero ſunt quòd ſunt, ſed non quòd mala ſunt. Sequitur, iuſticia enim aliquid eſt, iniuſticia uero nihil. Et paulo infra ait. Et ſicut Deus non facit iniuſticiã, ita non facit aliquid iniuſtum eſſe, qui tamen facit omnes actiones, omnes motus, quia ipſe facit res, à quibus, & ex quibus, & per quas, & in quibus fiunt. Et nulla res habet ullam poteſtatem uolendi aut faciẽdi, niſi illo dante. Ipſum quoq; Velle, quod aliquando iuſtum eſt, aliquãdo iniuſtum, à Deo eſt. Non eſſe uero rectum, non eſt quid, nec à Deo.

Similiter Scholæ. Ockam in. 1. ſent. diſt. 65. ait, uoluntas Dei ſicut & eſſentia Dei, eſt cauſſa immediata omnium eorũ quæ fiunt. Gabr. 2 ſen. diſt. 37. Summa Dei creatrix eſſentia, omnium eſt effectiuum poſitiuorum cauſſa immediata. Ockam. Gabriel.

Scotus in. 1. diſt. 2. probat primam cauſſam eſſe infinitam, quia ſit primum efficiens omnium. Bonauentura in. 2. diſt. 37. q. 1. Hæc poſitio quæ dicit, omnem actionem eſſe à Deo, ſecundum quod actio eſt, abſq; omni ambiguitate tenẽda eſt. Idem dicit, quòd quantumcunq; paruũ, diuino aliquo modo ſit Ens, quod procedit ab aliqua cauſſa creata, ſit cooperãte diuina potentia. Q uid hoc aliud eſt, quàm Deum non ſolum permiſsiue, ſed etiam potentiuè omnia facere quæ fiunt? Q uod quum ad ſen- Scotus. Bonauẽtura.

tentiam

Melanch. Frãciſcus Lãbertus

ſententiam Auguſtini & ſcholaſticorum. dixiſſet Melanchthon Franciſcus Lamberti calumniatur, quaſi falſum ſit & impiũ, quum tamen non ſolo Philippo, à Deo iniquitatem eſſe, ſed pro ſcholaſticorum ſententia rem hanc poſitam in quantũ eſt aliquid, quale erat adulterium Dauidis & Iudae proditio. Non igitur proprium principium ponendum eſt malae culpae, quia nihil eſt.

3 Ablata gratia, diuinaq́ uirtute non adiuuante & manutenente per ſe ſuccedit malum, quod cum ſit defectus quidam & nihil, non habet efficientem cauſſam Deum, ſed creaturam, quae ex nihilo eſt.

Permittere.

4 De uerbo permittit, ſi quis inde ratiocinetur, Deum mala permittere quidem, non autem cooperari creaturae ad ea facienda. Quaeritur:

Deus aut permittit uolens uel nolens. Nolens non, quia uoluntati eius quis reſiſtit? Rom. 9. Ergo permittit uolens, ergo uult fieri. Si uult, ergo facit, quia quaecunq; uoluit fecit Deus in caelo & in terra. Si nolens permitteret, triſtaretur, quod in diuinam naturam nullo pacto cadit.

5 Qui igitur (ut Philippus poſt Auguſtinum) contendunt omnia fieri à Deo, non ſolum permiſſiue ſed propriè, uere dicunt, nam ad fontem reſpiciunt cauſſalitatis rerum omniũ, & dicẽ poſſunt hanc propoſitionem: Omnia per ipſum facta ſunt.

nam

[illegible] quum Deus ſit omnipotens, certè ipſe agit quicquid eſt potentiæ in cœlo & in terra, nam ex ipſo & per ipſum, & in ipſo omnia, non tamen hoc ipſo actum impietatis diuinæ maieſtati tribuunt, ſed ſtupendam omnium creaturarum in fieri eſſe & operari dependentiam, à primo omnium principio Deo vero intelligentes, intellectum captiuant in obſequium Dei, adorantq́; magis incomprehenſibilia Dei iudicia, eademq́; iuſtiſſima, quàm ſcrutentur. Et certè ſcriptura duce hoc docemus, Prouerb.16 et .20. Gen.15. 1.Reg.2.10. Iſa.46. [illegible]. 1.Geneſis.45. Non veſtro conſilio. &c. Act.4. Quæcunq; manus tua decreuerũt. Hieremi. 10. Ezechiel.11. 3.Reg.12. Et quid aliud agit Apoſtolus Rom. 10. & .11. Vide Auguſtinũ contra Iulianũ Pelagianũ lib.3. cap.8. Et ſublimius quiddam intelligit per verbũ Prophetæ Iſa.45. Creans malũ, quàm ſolum [illegible]. Et certè quum hæc ad omnipotentiam & omniſcientiam Dei pertineãt, qui pio ſpiritu, prædeſtinationis hanc & [illegible] efficaciam intuebitur, miſericordiam & iuſtitiam Dei contemplabitur [illegible] gratias agens potius, quàm curioſè hoc [illegible] ſcrutans. Exod.4.9. Hiere.33. 2.Paralip.18. Ezechiel.14. 2.Reg.16. De Prophetis deceptis per [illegible]. Iſa. 6. Excæca cor populi huius quod

allegat

allegant Apoſtoli Iohannis. 12. Paulus Actorum decimo, & Romanorum undecimo. Corinth. 3. Bona cogitatio à Deo, Philip. 2.

Scholæ & Auguſtinus conſonant.

Veruntamen non diſſident Scholæ ab Auguſtini ſententia. Scholæ. in peccato actuali conſyderanda duo ſunt: Materiale, id eſt, actus ipſe poſitiuus, qualis eſt occiſio manualis. Formale, eſt malicia, defectus circumſtantiæ, debitæ ineſſe actui commiſſo, Scholarum concluſio. Materiale illud & poſitiuum, quia eſt Ens, certè à Deo eſt cooperatum, quippe qui cooperatur tanquam cauſſa efficiens homini peccanti, & certè uolens cooperatur. Formale autem non eſt à Deo, quia nihil eſt, ſicut defectus uel priuatio luminis nihil eſt; quod autem nihil eſt, à Deo eſſe non poteſt. Corollarium. Illa igitur propoſitio, Deus facit peccatum, uel eſt cauſſa peccati, non admittitur, & ſi actum faciat qui peccatum. Apud exercitatos in ſacris nihil offenderet hoc Paradoxon, ſed apud rudes, qui protinus cogitarent, Deum uelle uel operari hanc maliciam & defectus formalitatem. Nam quia Deus in lege malefacere prohibuit, & præcepit bene operari, ideo ad uitandam ſenſus abſurditatem & ſimplicium offenſionem, Doctorum modus loquendi eſt. Ex [illegible] hac: Deus facit bona, permittit mala. Si criminales audirent hoc Paradoxon, Deus facit homicidium,

Sermo noſter ſit ſale cõditus.

Cum,

llin, protinus putarit, Deum hæc mala præcepiſſe
ul cõſuluiſſe. Hic igitur modus loquendi, Deus per
ittit mala, non autem ipſe facit, uſitatior eſt, quia
us dedit nobis præceptum, & conſilium bene
endi: cæterum mala agere diſtrictiſſime prohi
